



## **Disputationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Quibus Univerſa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalæ, 1644**

Sect. 5. An Deus velit necessariò facere ſemper id quod melius eſt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



line & perfectionem vniuersi. Ad quintum, nego consequentiam. Peccata enim non sunt per se causa huiusmodi bonorum, sed per accidens, quatenus eorum occasione Deus, pro sua misericordia & sapientia, bona de malis elicit.

### SECTIO V.

An Deus velit necessariò facere semper id quod melius est?

32.  
Deus non  
vult neces-  
sariò face-  
re semper  
id quod  
melius est

**R**espondeo negatiue. Probatur primò ex Scriptura. Operatur enim omnia secundum consilium voluntatis sue, Ephes. 1. id est, secundum liberam suam electionem: Nam vbi est necessitas & determinatio ad vnum, non est locus consilio & deliberationi quid agendum sit. Propterea enim cõsuleret qui esset ad vnum determinatus. Ergo quicquid Deus facit, liberè facit. Ergo si facit sepe id quod melius est, liberè illud facit. Confirmatur, quia Scriptura loquens de præcipuis & summis operibus à Deo factis, vt de Incarnatione, Eucharistia, prædestinatione, & similibus, liberam in illis dei charitatem, misericordiam, & dignationem cõmendat. Sic Deus dixit mundum, & c. Ioan. 3. Qui secundum misericordiam suam magnam saluos nos fecit, Titi 3. v. 5. Nusquam Angelos apprehendit, sed semel Abrahã apprehendit, Heb. 2. v. 16. Probatur secundò ex Sanctis Patribus, qui cum de ipsè operibus loquuntur, disertè affirmant Deum ab illis abstinere potuisse, adeoque libere illa facisse. Sic D. August. lib. 13. de Trinit. c. 10. initio, de Incarnatione, & mundi per Christum redemptione loquens, asserit non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subiacerent, id est, æquali facilitate potuit alium modum, præ isto, adhibere. Et lib. de agone Christiano cap. 11. dicit, Stultos esse qui putant non potuisse aliter sapientiam Dei hominem liberare, nisi carnem assumendo.

33.

Probatur tertio ratione. Quia si Deus necessariò faceret sepe id quod melius est: ea quæ facit non possent ab ipso non fieri: ac proinde amitterent rationem doni gratuiti, propter quod laudè specialem & gratiarum actionem Deo debeamus. Neque esset cur sollicitè à Deo peteremus beneficia quæ postulamus. Vel enim melius est ea nobis conferri, vel non. Si primò: Deus necessariò conferret, quis non oretur. Si secundum: necessariò non conferret: quia non potest facere, nisi id quod melius est. Dices, adhuc esse locum orationi: quia quod per se solū non esset melius fieri, erit melius adiuncta oratione, & propter orationem. Sed contra, quia vel melius est adiungere orationem, vel non. Si primum: Deus necessariò illa adiungeret, neque opus est vt de illa adiungenda sim sollicitus. Si secundum: necessariò non adiungeret. Confirmatur, quia libertas in operando circa nos sibi necessaria, vel non summe bona, est perfectio excellentissima vita intellectualis, per quam agens liberum suis actionibus cõminatur: estque perfectio simpliciter simplex, id est, melior

ipsa quam non ipsa, aut quælibet alia incompossibilis cum ipsa, cuiuslibet entis vt ens est. Ergo conuenit Deo enti simpliciter perfectissimo, & viuenti excellentissimo, rectissimo, que omnia appetenti: necessariò, necessaria: liberè verò, id est non necessariò, non necessaria. Nihil autè extra Deum est summe bonum, vel ipsi Deo necessarium: quippe nullius indigenti, sed sibi ipsi sufficenti, ac per se ipsum perfecto & beato, iuxta illud ps. 15. Dixi Domino Deus meus est tu: quoniam bonorum meorum non eges. Adde quòd orbis terrarum, id est, creaturæ omnes, quantumuis bonæ & perfectæ, dicuntur esse quasi nihilum respectu Dei, Sapient. 11. v. 23. & Isa. 40. v. 17. Quomodo ergo Deus vellet necessariò id quod ipsi nihil est? Voluntas enim recta non fertur necessariò nisi in id quod ipsi necessarium est. Quare cum ea, quæ inter creaturas sunt meliora: non sint Deo necessaria: Deus non fertur necessariò in illa per voluntatem efficacem ea producendi: atque ita non facit necessariò id quod melius est.

Neque par est ratio de amore simplicis complacentiæ creaturæ vt possibilem, quem fatemur esse Deo necessariò & essentialè. Nam omnipotentia est attributum Dei necessarium & essentialè, quod Deus nõ potest non amare. Possibilia autè habent necessariam cõnexionem cum omnipotentia, velut eius obiectum conueniens & amabile (loquor enim de bonis possibilem) & Deus amat illa, veluti obiectum necessarium suæ omnipotentia, conueniens & amabile.

Obijcies: Deus se amat necessariò amore infinito, & quo maior esse non potest. Ergo eodè pondere, eademque necessitate fertur ad quærendam in omnibus maiorem suam gloriam. Maior autè est Dei gloria in faciendis operibus quæ meliora sunt, & in quibus magis elucet Dei sapientia, bonitas, omnipotentia, aliaque attributa: ergo Deus facit necessariò ea quæ meliora sunt. Antecedens, quòd scilicet Deus necessariò se amet infinite & perfectissime, clarum est. Consequentia verò probatur, quia amare aliquem est velle ei bonum. Gloria autè Dei extrinseca est aliquid Dei bonum: & maior gloria est maius bonum. Qui autè diligit aliquem perfectissime, ita vt amplius non possit; ex necessitate talis amoris vult illi & procurat optima quæ potest: alioquin non amat perfectissime, & posset recedere in amore. Confirmatur, quia si quis se amat summo amore quo posset; sine dubio vellet sibi quicquid optimum esset, si sciret quid nã sit hoc optimum. Confirmatur secundò, quia creatura quæ posset plura ac meliora facere in obsequium Dei, & nõ faceret; cõuinceretur minus perfecte diligere Deum. Ergo similiter Deus minus se amat, si potest plura ac meliora facere ad suam gloriam, & velut in obsequium suæ bonitatis; nec tamen facit. Confirmatur tertio, quia diuina voluntas omnino cõformatur diuino intellectui (optima enim voluntas conformatur rectissimo intellectui) sed diuinus intellectus iudicat melius esse

Vellet  
Deus nec  
cessitate  
morali id  
quod me-  
lius est



Deum ita se amare, ut nihil prætermittat eorum, quæ quomodolibet cedunt in maiorem ipsius gloriam: ergo diuina voluntas id vult.

35.  
Sententia affirmans.

Propter hæc argumenta Iacob. Granado in tractatu 2. de voluntate Dei disp. 3. censet Deum ex necessitate morali velle se præferre id quod optimum est, in ijs, inquit, rebus in quibus potest optimū assignari: ut sunt creatio mundi, & non creatio: Incarnatio, & non incarnatio: Prædestinatio, & non prædestinatio: & similia. Alia enim sunt, inquit, in quibus abitur in infinitū, ut est multitudo individuorum intra eandem speciem, quippe quæ possunt magis ac magis sine fine multiplicari: & multitudo specierum intra idē genus: aliæque similia, in quibus non potest optimum reperiri, sed quouis dato potest dari melius. Et in his Deus non facit optimum: quia tale nullū est. Hanc sententiam sic expositam sectione 1. probat sequētibz sectionibus auctoritate D. Thomæ, & sanctorū Patrum, & rationibus iam allatis, ac demū inductione, quæ conatur ostendere Deum in omnibus rebus, ubi non abitur in infinitum, voluisse, ac se ipsa fecisse quod simpliciter & absolute melius est. Eandem sententiam amplectitur finissimèque prosequitur Didacus Ruis tota disputatione 9. de voluntate Dei, cuius argumenta referemus secl. sequenti.

36.  
Refutatur.

Sed contra: primò, Si rationes allatæ valerēt, probarent non tantum morali necessitate sed physica, Incarnationem fuisse Deo necessariam absolute. Nam Deus physica necessitate se amat perfectissimè, cuiusque voluntas necessitate physica est conformis rectissimo intellectui diuino. Ergo si pari necessitate fertur in Incarnationē & quicquid aliud optimum est, idquē necesse fuit ut se amaret perfectissimè: fertur in illa necessitate physica, quod tamen Granado initio disputationis citatæ fateretur esse hæreticum.

37.  
Parum sibi coheret.

Secundò, Hæc opinio non sibi coheret, cum ait Deus v. g. non fuisse necessitatū moraliter ad creaturā meliorem mundum, quia inter mundos possibles supra istum, non datur optimum, sed potest dari melior & melior in infinitum: & tamen ait Deum fuisse moraliter necessitatū ad querendam suam glorificationem per Incarnationē: cum tamen inter glorificationes possibles non detur optima, sed possit dari melior ad melior in infinitū. Cum enim Deus potuerit querere gloriam suam per purā & naturalem mundi creationē, sine destinatione ad supernaturalia: potuerit itē eam querere per alia media nobiliora & meliora in infinitum in genere glorificationis: quare non potuit moraliter esse contentus creatione mundi, & abstinere ab Incarnatione, alijsque medijs nobilioribus in infinitum: sicut potuit moraliter sistere in mundi huius creatione, & abstinere ab alio meliori, & ab infinitis magis ac magis nobilibus? Ac posito quod necessariò moraliter deberet Deus gloriam suam querere per media supernaturalia: quare non potuit sistere in aliquo medio inferiori, relicta Incarnatione: sicut sistit in

huius mundi creatione, relicto alio meliori, ut fateretur Granado? Neque enim magis potest dari vltimū in genere glorificationis per media supernaturalia: quam in genere creationis mundorum possibilium: siquidem non modo in illis medijs supernaturalibus generalissimè sumptis, sed & in sola Incarnatione latius sumpta pro assumptione naturæ creatæ, potest abiri in infinitum: tum quia potest assumi creatura nobilior, & nobilior in infinitum, magisque ac magis vniri & terminari hypostatice, secundum maiorem & maiorem capacitatem obedientiam: tum etiam quia valere & referri potest ad plurius salutem in infinitum, pluraque dona supernaturalia, quibus Deus magis glorificaretur.

38.  
Repugnat Patribus.

Tertiò, hæc opinio repugnat Sanctis Patribus, affirmantibus communiter Deum aliter quam per Incarnationem potuisse hominem liberare. Loquuntur enim Patres de potentia morali. Nam potentia quæ moraliter non potest reduci in actum, habetur pro nullā moraliter, & vix vnquam apud Patres & Concilia vocatur potentia, sed potius impotentia. Sic enim passim dicunt impossibile esse vitare omnia peccata venialia sine gratia speciali: Impossibile esse sine gratia abstinere diu ab omni mortali, vel totam legē seruare, & similia. Tum etiam quia ea dicunt, quæ nisi de potentia morali non possunt explicari. Aiunt enim Incarnationem ita Deo fuisse liberam, ut ab ea æquè potuerit abstinere. Sic D. Augustin. veris supra relatis lib. 13. de Trinit. c. 10. ait non aliū modum possibile Deo defuisse, & æquè facile potuisse actum adhibere. Quod falsum est si alius modus fuit moraliter impossibilis, & ite moraliter necessarius. Factum pariter esset quod ex eodem rectissime in libro de agone Christiano c. 11. stultos esse qui putant non potuisse aliter sapiētiam Dei hominem liberare nisi carnē assumendo. Nam si moraliter non potuisset aliter hominem liberare, non magis stultus esset qui hoc putaret, quam qui putaret hominem non posse sine gratia speciali vitare omnia peccata venialia, quod tamen asserit Trident. sess. 6. can. 23.

August.

Quartò, eadem sententia repugnat comuni sensui & vsui fidelium, qui sollicitè petunt à Deo beneficia, ad maiorem licet ipsius gloriam pertinētia, tam pro se, quam pro alijs. Ut v. g. Infidelium conuersionem, & regni Christi amplificationem, quam ipsa quoque Ecclesia vniuersa in diuini officijs sæpius postulat. Et Christus in se eandem postulauit Ioan. 17. v. 1. Pater clarifica filium tuum, &c. Atque ad eundē finem Spiritum sanctum pro Apostolis petijt, Ioan. 14. v. 16. Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis. Quem ipsi quoque Apostoli sollicitè & perseveranter petierunt, Actor. 1. v. 14. Et tamen sine dubio Christi clarificatio, & Spiritus sancti descensus in Apostolos, ad maiorem Dei gloriam pertinebat. Atqui sollicitè non petimus nisi ea, quæ putamus posse moraliter negari. Petere enim sollicitè ab aliquo ut faciat id, quod moraliter

39.  
Repugnat etiam sensui fidelium.

TINO  
US  
part  
VI  
U.



non potest facere, aut ut non faciat id quod moraliter non potest non facere, tã est ineptum, ac si ab aliquo peteres, ut sine gratia speciali vitet omnia peccata venialia collectiue, quod est tantum moraliter impossibile.

Moralis illa impotentia est Deo indigna.

Quintò, illa moralis impotentia circa unum aliquid, est summa difficultas circa aliquid physice possibile, vel nascitur ex tali difficultate. Hæc autem difficultas vel oritur ex potentia debilitate, vel ex pugna affectuum contrariorum, quorum vnus alium superare non potest. Primum dedecet omnipotentiam Dei, eique planè aduersatur: quippe cui, ut ait supra D. August. *cũta aequaliter subiacent*. Secundum verò dedecet rectitudinẽ diuinã voluntatis, in qua non potest esse contrarietas affectuum, & pugna vnus contra alium, vel affectus aliquis erga creaturas impotenter eam trahens. Estq; omnino Deo indignum Deum aliquid posse, quod tamen non nisi egre & repugnãter possit. Deniq; si impotentia physica circa aliquid ad extra Deum dedecet, neq; potest sine hæresi Deo tribui, ut fatetur Granado: dedecet etiam moralis impotentia, quæ circa vnicum actum, vel effectum, partim differt à physica. Plura aduersus hanc opinionem vide apud Delugo tota disputatione 2. de Incarnat. qui tamen p. 25. & tribus sequentibus in illa incidit ex parte, & nihil illi tribuere mihi videtur.

40.

Deus se amat intensiue quantum potest, sed non extensiue.

Ad argumẽta verò Granadi, ommissis aliorum solutionibus, quia nõ mihi planè satisfaciunt, deo breuiter ad primum, duplicem esse perfectionem amoris: intensiuam, & extensiuam: Deum secundum vtrumque se amare infinitè: atque etiam secundum intensiuam amare se necessarid amore tanto, & tam perfecto intensiue, ut magis nõ possit. At non secundum extensiuam. Amor enim Dei ad obiecta non-necessaria (cuiusmodi sunt res omnes creatæ) posset ad plura, magis ac magis extendi. Quod vel ex ipsa doctrina Granadi euidens est. Fatetur enim in ijs quæ procedunt in infinitum, ut in productione plurium mundorum, aut plurium individuorum ad gloriã Dei, non facere ipsum quicquid & quantum potest ad suam gloriã, sed posse in infinitum plura & meliora eo quod facit. Quã autem perfectionem ponat in Deo actus contingentes, & quomodo possint à Deo abesse, explicabimus disp. sequenti sect. 4. In forma igitur, distinguo antecedens. Deus se amat amore qui maior esse non potest. Intensiue, cõcedo. Extensiue, nego. Deus enim posset amare se perfectius extensiue quoad obiecta non-necessaria, id est, posset sibi velle plura & plura bona creata in infinitum: ut plures Angelos, & plures homines creare ad suam gloriã, plures beare, plures sibi vnire hypostatice. Et nihilominus Deus se amat perfectissimè simpliciter, quia amor essentialis, quo se amat, continet eminenter perfectissime omnes perfectiones actuum liberorum, qui circa obiecta creata extendi possunt magis ac magis in infinitum. Unde etiam Deus non crescit in perfectione simpliciter, ex eo quod habet huiusmodi actus liberos: & non

decreset, si non haberet.

Ad primam cõfirmationem Respondeo similiter eum qui se summe amaret existens, non propterea necessarid sibi velle ex non necessarijs quicquid potest, nec quicquid melius esset. Sic Beati qui Deum amant necessarid, quantum possunt cum tali auxilio & concursu diuino, nõ propterea eadem necessitate volut quicquid ad Dei gloriã facere possunt, sed liberè pro nobis orat, & alia multa præstat ad maiore Dei laudẽ, sine morali necessitate. Ad secundam dico, Talis Deum minus amaret extensiue, sed non intensiue, ut patet, exemplo allato de Beatis. Ad tertiam, Respondeo diuinam voluntatem conformari omnino diuino intellectui hoc sensu, quod nihil omnino agit, aut omittit, contra dictamen intellectus diuini. At non alio sensu quem intedit obiectio, quasi faciat semper id quod intellectus iudicat esse melius. Quod ex ipsa doctrina Granadi, & euidenti ratione, est falsum & impossibile in ijs quæ procedunt in infinitum. Optima verò est diuina voluntas, quia continet eminentissimè omnem perfectionem que rucunque actuum virtutis, existentium & possibilium: tamen circa obiecta contingencia non exerceat formaliter omnes actus virtutis, & beneficentia, quos posset exercere, ut ipsimet Granado fatendum est: quia in illis abitur in infinitum.

Ad testimonia Patrum, & D. Thomæ, Respondeo illos partim intelligere quod Deus in omnibus fecerit optimum, quantum debuit, ut expressè asserit S. August. eo ipso loco quod citat Granado. Partim, quod exaggeratione disputado contra Manichæos: Interdum enim Patres inclinant disputando, ad alterum extremum. Partim velle tantum quod Deus omnia optimè fecerit, & oppositissimè ad finem à se intetum, secundum mensuram & modum quo illum intedit. Partim denique, sed paucos, id asserere sine traditione, & sine alia probatione. Inductio verò quã prosequitur Granado tota sect. 6. est magis cõcionatoria, quã solida & efficax ad probandum intetum.

## SECTIO VI.

Respondetur alijs argumẽtis contraria sententia.

Aduersus nostram sententiam plura suo amore cõgerit Sanctorum Patrum testimonia. Didacus Ruis disp. 9. de voluntate Dei sect. 4. & sequentibus. Prius autem supponit sect. 1. n. 4. tanquam certum & extra controversiam, Deum semper velle & facere quod optimum & conuenientissimum est ad consequendum finem efficaciter intetum, sub ea mensura & modo, sub quo efficaciter intetum est finis: velle, inquam, illud optimum necessarid, physica & simplici necessitate, & nõ liberè: ad eò ut oppositum sit simpliciter impossibile. Probat, quoniã alioqui voluntas Dei efficax nõ impleteretur quantum ad substantiam finis intetum, & quantum ad modum & mensuram. Est autem physice necessarium, non frustrari voluntatem efficacẽ Dei, nec quantum ad substantiam finis, nec quantum ad finem.